

Alte Drucke

**PARAPHRASIS || PSALMI 128. SCRI=||PTA IN HONOREM
DOCTISSI=||MI VIRI M. BERNHARDI SCHAPER || Ludimagistri
Halberstatensis, celebrantis || nuptias cum ...**

Bergen, Matthias

Witebergae, 1561

VD16 ZV 31065

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149727

Quæ sit in humanis uia felicissima rebus
Et quæ sit summis prædita uita bonis,
Quis dici uera possit ratione beatus,
Dum uitam humana conditione trahit.
Cecropijs mendax Academia quærit in umbris,
Quærit Socraticæ fæx operosa Scholæ.
Quærit idem Samij sectatrix turba Sophistæ,
Hoc Stoa Zenonis dogmate clara rogat.
Hic Stragera tuus multum desudat alumnus,
Et Plato quosq; super longa referre mora est.
Verum hic grandiloqui delirat dogma Platonis,
Ingenioq; sagax errat Aristoteles.
Nugatur uario delusa errore uetustas,
Nunc huc nunc illuc turba profana ruit.
Explicat humanæ non id rationis acumen,
Nil hic arguti uis ualet ingenij.
Sola Dei id deprompta adytis oracula pandunt,
Psalmographi uatis quæ sonuere fides.
Talibus hæc uitæ finem summamq; beatæ,
Afflatu expediunt flaminis ætherei.
Felix ille animi fortunatusq; laborum
Quos ratio uitæ ferre operosa potest,
Felix terq; quaterq; & ab omni parte beatus,
Vnica cui uerum est cura timere Deum.
Qui summum toto ueneratur corde tonantem,
Et uero illius numen honore colit.
Huius & obseruans sancto mandata timore,
Nil nisi quod Domino scit placuisse facit.
Non hunc mendaci uentosa superbia fastu
Non hunc illicitis lucra parata modis.
Non mala sollicitant insani gaudia luxus,
Nobiliumue fames ambitiosa dapum.

A ij

Sed

Sed tenui parca contentus munere mensæ,
Lætatur uictus simplicitate sui.
Larga tamen præbet pleno illi commoda cornu
Omnia qui larga donat & auget ope.
Ille quidem officium mandati muneris explet,
Exercetq; suo munia quacq; loco.
Nec tamen euentus hinc exspectatq; secundos
Successumue suis uiribus attribuit.
Vana laboriferæ uerum conamina uitæ
Defectumq; uidet conqueriturq; suum.
Imploratq; Deum, uotisq; frequentibus orat
Illius ut totum dextra gubernet opus
Sic res officij ratio quas postulat explet,
In solum uersus corde fidente Deum.
Sic gerit obliuata inmoti scrinia cordis,
Nouit & acceptum quod facit esse Deo.
Quisquis es ista Deo pietas mihi crede probatur,
Huius præsto tibi gratia semper erit.
Consortem thalami & uitæ dabit ille leuamen,
Atq; alias clemens insuper addet opes.
Aemula Nysæis florebit uiribus uxor,
Exornans cultu uersicolore domum.
Vtq; ferax sociam uitis complectitur ulmum,
Sic latus ornabit coniugis illa sinu.
Prole coronatas nunc admirabere mensas,
Dum domus augustum proferet ampla decus.
Nunc caræ alloquium sobolis, lususq; suauis,
Nunc grata innumeris garrula uerba modis.
Nempe uelut multis plantata renidet oliuis,
Atq; ostentat opes area læta suas:
Vtq; decent uirides iucunda rosaria plantæ,
Lætæ fouet nascens in quibus aura decus:

Dulcia

Dulcia sic patriam decorabunt pignora mensam,
Mulcebitq; animum garrula turba tuum.
Felices animas inter felicior ipse
Excipies plausus per tua tecta nouos.
Larga coronatis ponentur pocula mensis,
Atq; aget officium turba uniuerſa ſuum.
Nulla tibi aduerſæ tulerint incommoda Lunæ,
Et ſubuertet opes nulla ruina tuas.
Fata miniſtrabit non triſtibus aſpera rebus,
Fluctuat incertis quæ dea nixa rotis.
Nec te plebeio tollet Libitina pheret्रो,
Nec rapiet nomen nigra fauilla tuum.
Sed bona tranquillo transmittes tempora curſu,
Dum ueniat fatiſ ultima meta tuiſ.
Necte longa dieſ luſtris labentibus æuo
Exinet, aut miſera conditione premet.
Nomen at æternum memori ſeruabit in æuo
Fama, ſub extremos non moritura rogos.
Talibus accumulât numen cœleſte piorum
Agmen, inexhauſta pro bonitate, boniſ.
Hinc honor, hinc omni manſurum tempore nomen,
Hinc oritur uerum, non aliunde, decus.
Sit tibi dux pietas, pietas ſit regula uitæ,
Sola ratiſ pietas ſit Cynofura tuæ.
Cætera præſentiſ uitæ quorum indiget uſus,
Non deerunt, ſi mens hoc tua ſpectet opus.
Hunc mens, uox, oculi, pectus, cor, lingua, uoluntas,
Hunc animæ ſpectet uiſ uniuerſa ſcopum.
Tunc optata tibi largiſ fortuna quadrigiſ
Commoda, & ingenteſ accumulabit opes.
Tum pater æternuſ iucundæ gaudiâ uitæ
Fundet, & immenſo dona beata ſinu.

A iiij

Præter

Præter & æternæ donum uitæ, insuper addet
Hæc etiam rebus emolumenta tuis.
Dumq; orbem furij turbant, & cladibus implent,
Qui magna ex paruo fomite bella parant:
Dum fera bacchatur tristi Bellona flagello,
Spargit & horribiles irrequieta minas.
Defendente Deo discrimine tutus ab omni,
Dulcia securis ocia rebus ages.
Impia uentosi dum conflant bella Sophistæ,
Et turbant cœtus ambitione pios:
Incrementa tamen Solymes iucunda uidebis,
Laudatæq; urbis tu quoq; ciuis eris.
Sic natos natorum, & qui nascentur ab illis
Dulcia felicitis pignora coniugij.
Consortemq; tuam spectans, dulcesq; penates,
Traduces uitæ mollia fata tuæ.
Donec gaudentem patrio transcribat Olympo,
Quem tua laudanda mens pietate colit.

TV quoq; qui sentis acres sub pectore flammæ,
Quas pius in casto corde Cupido facit:
Pegasei Bernharde haud ultima gloria fontis,
Hoc etiam felix es, mihi crede modo.
Tu quoq; scis summo cultus præstare Tonanti,
In mediatoris cognitione pios.
Dulcia legitimi tibi fœdera pactus amoris,
Hinc Deus optatos conficit ergo toros.
Illiusq; tibi donatur munere coniunx,
Egregijs uirgo nobilitata bonis.
Cui natura fauens faciem, moresq; pudicos,
Et rar as dotes, ingeniumq; dedit.

Tanto

Tanto maſte bono , tibi fors pulcherrima ceſſit,
Qua nihil in uita ſuauius eſſe poteſt.
Cui neq; prætulero, quas fert Pactolus, arenas,
Nec quas Heſperij limpha ſuperba Tagi.
Nec quod odoratis imbellis Medus in agris
Colligit, aut acri Sole peruſtus Arabs.
Quæq; per Aethiopum carpuntur uellera ſyluas,
Aut quæ Sidonio lana cruore rubet.
Nam quid rubra iuuent fulgentibus æquora conchiſ?
Quid, quæ multa niger rura Sabæus arat?
Quid proſint gemmæ, quid purpura multa, quid aurum?
Delicias demens quæ ſibi turba facit.
Qua tecum nemo ſi commoditate fruatur,
Fortuna infelix illa futura fiet.
Quærat opes alius, fugiat per ſaxa per ignes,
Et uitam dubijs credat auarus aquis,
Atria celfa alios Phrygijs ſubnixæ columnis,
Fulcæq; Mygdonio marmore tecta iuuent.
Exquirant gemmas Pelopiſq; Midæq; talenta,
Quicquid habet Ganges, quicquid & Hermus habet.
Me mea paupertas recti ſibi conſcia paſcat,
Ocia dum Muſis non aliena ſequor.
Me cum fata dabunt fido mea Phyllis amore
Torreat, amplexu confoueatq; ſuo.
Hoc itidem Bernharde tibi eſt doctiſſime mentis,
Fallitur augurio uel mea Muſa ſuo.
Tu quoq; non renuiſ caſto ſagrare calore,
Te quoq; ſuppoſitis ignibus urit amor,
Vrit amor, ſed caſtus amor, qualiſq; pudicum
Pectus non unquam dedecuiſſe queat.
Non is qui molles flamma petulante medullas
Carpit, captiuum ſub iuga fœda trahit.

Matris

Matris Acidaliæ non te puer improbus arcu,
Infamiue audet sollicitare face.
Sed mens enormes cohibet castissima motus,
Illicitaq; illos non finit ire uia.
Fœda libido tuos nunquam subrepfit in ausus,
Et turpes Veneris despicias illecebras.
Aetheriei hos motus tibi flaminis indidit ardor,
Ad sanctum pietas præuia ducit opus.
Hæc ergo Deus ipse tibi iam fœdera sancit,
Fœdera ad extremos non soluenda rogos.
Is det ut hæc longis durent connubia sæclis,
Et pia cœlestis fœdera firmet amor.
Nos quoq; Sponsæ tuas tædas ornare parati,
Qui pompæ insignis pars quotacuncq; sumus:
Hoc tibi nempe pijs precibus uotisq; precamur,
Sit tuus ut felix & sine labe torus.
Sit Venus huic uestro sit Iupiter æquus amori,
Firmaq; legitimus uincula nectat Hymen.
Viuite, & innumeras, si quid pia uota ualebunt,
Vincite Cumææ uatis Olympiadas.

FINIS.

